



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TOLIARANA** \* IN MADAGASCARIA NOVA  
CONDITUR PROVINCIA ECCLESIASTICA,

TOLIARANA APPELLANDA, QUAE SEDES AD DIGNITATEM

ARCHIEPISCOPALEM ET METROPOLITANAM ATTOLLITUR. De universo dominico grege solliciti, in cunctas Ecclesias curam continenter conferre solemus, ut salutifera Iesu Christi beneficia quam amplissimam multitudinem attingant. Ideo Nos aptare festinamus ecclesiastica instituta ad proposita haec commodius assequenda et aptius explenda. Quapropter. cum in Madagascaria catholicum nomen feliciter amplificari videamus, his quorum interest rogatis sententiam, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Seclusis dioecesibus Toliarana, Morembensi, Morondavensi et Tolagnarensi a Sede metropolitana Fianarant-soaënsi, novam ex iis Provinciam ecclesiasticam condimus *Toliaranam* appellandam, eiusdem vocabuli obtinentem Sedem, quam ad archidioecesis metropolitanae gradum attollimus, cuique dioeceses Moremhensis, Morondavensis et Tolagnarensis in Madagascaria erunt suffraganae. Toliaranum Episcopum, in praesentiarum Venerabilem Fratrem Fulgentium Rabeony, S.I., dignitate Archiepiscopi Metropolitanae honestamus secundum sacrorum canonum praescripta. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Brunonem Musarò, Archiepiscopum titulo Abaritanum, atque in Madagascaria Apostolicum Nuntium, legamus. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto decimo mensis Novembris. anno Domini  
bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	CRESCENTIUS card. SEPE <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

*Apost.*

---

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana